



Samelbd.

0/0

die,

64
DE
EDVCATIONE CAVENTE
PROLVISIO

QVA
AD SOLEMNEM IN DECLAMANDO
EXERCITATIONEM

BENIVOLE AVDIENDAM
HVMANISSIME INVITAT
CAROLVS HENRICVS SENTENIS
AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR.



LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBÆERIANA.

MDCCLXXIX.



DE

EDUCATIONE CAVENTE
PROVISIO

AD SOCIETATEM IN BELGIANDIS


EXERCITATIONEM

REPUBLICAE BRITANNICAE

HYMNISIMAE INVIAT

CAROLVS HENRICVS SEPTIMVS

REX BRITANNIAE ET HOLLANDIAE




LIPSIAE

IN OFFICINA JACOBI BERTHOLDI

MDCCLXXII





Die verhütende Erziehung ist gewiß die wichtigste. Wenn der schlimme Saame nicht aufwächst, muß der gute notwendig gedeihen. „Denjenigen, der Lust und Talente hätte, eine Abhandlung über die verhütende Erziehung zu schreiben, wollen wir auf ein Kapitel im *Montaigne* aufmerksam machen, worinne vortrefliche Saamenförner für die weitere Bearbeitung dieser Materie liegen. Ein sehr fruchtbarer Gedanke ist der, daß *Montaigne* das Verfahren bey dem Unterrichte in den körperlichen Übungen zum Muster bey der intellektuellen und moralischen Bildung anpreiset. „Wer einen will reiten lehren, sagt er, der stellt sich nicht bey ihm hin, und hält ihm eine Predigt über das Reiten, sondern er setzt ihn auf das Pferd, giebt ihm den Zaum in die Hand, und läßt ihn fortreiten. So lange er bemerkt, daß es gut geht, ermuntert er ihn blos, so fortzufahren, um sich in diesem Anfange die Fertigkeit zu erwerben, und nur, wenn er einen Fehler bemerkt, ruft er ihn zu, und weist ihn zurechte.“ — Also den Lehrling in die Umstände des Denkens und Handelns zu versetzen, und zu verhüten, daß er dabey keinen Fehltritt thue, wäre das nicht *Educatio Cauens*, und wäre das nicht der beste Theil der Erziehung überhaupt?“

Tanta veritatis specie, tantaque pro vrgendo et exsequendo consilio munificentia, omnibus parentibus, atque scholarum magistris, qui liberorum, aut alumnorum, fidei atque institutioni suae commissorum, salutem curae cordique habeant, in *Bibliotheca uniuersa Berolinensi*, Vol. XXVI. P. I. p. 49. et Vol. XXXVI. P. I. p. 312. consentientibus *Ephemeridibus humanitatis Germanicæ*, quae ibidem

bidem recensentur, non tam commendatur, quam iniungitur **EDV-
CATIO**, quae dicitur, **CAVENS**. Viri, quorum publica de libris
recens in lucem editis iisdem *Commentariis Berolinensibus* con-
signata leguntur, quorumque assiduitati atque indefesso studio in *cam-
po Humanitatis*, et maxime in euellendis atque extirpandis, *ut ipsis
loqui visum est*, scholarum spinis atque dumetis, a prudentissimo quo-
que *verum* pretium statuitur, non minus sagaces sunt in inuestigandis
blanditiis, et compositi, ad deridendam istiusmodi verborum vanita-
tem, quam ego remotus sum et abhorrens ab omni, quod affectatio-
ni atque humilitati haud impar videatur. Hinc, ne inuitus in istam
suspicionem incidam, non copiose dicam, quanta cupiditate ipsorum
placita perlegam, eaque perlecta, *nisi mentis difficultate impediatur*, in
perfungendis muneris, mihi demandati, partibus, ad usum conferam.
Quamquam vero permultum est, quod horum Virorum eruditioni
atque auctoritati tribuam, non negans, haud pauca fortasse vel adhuc
superesse, quibus emendatis, disciplinae scholasticae, *pro aetate in-
dole*, maior concedatur gratia, tamen hac in caussa, quae de **EDV-
CATIONE CAVENTE** agitur, quamque optimo cuique viro susci-
piendam suadent, ad partes ipsorum transire nequeo, retentis a non-
nullis rationibus, quarum grauitatem ego non magna orationis vber-
tate praedico, sed omnibus, qui rerum scholasticarum cognitionem
teneant, iudicandam relinquo. Nisi ipse rei, cui aduersantur, opi-
data dignitas atque praeslantia postulasset, in publicum adspectum
illas aequae non eruissem, atque alia, quae aduersus horum *Virorum
conspiciorum* instituta, *ad scholarum instaurationem pertinentia*, mo-
nenda videri possunt. Neque vereor, ne eandem nimis duram sen-
tentiam de conatibus meis ferant, quam, *nisi mens verborum ipsorum
iniqua contortione deprauatur*, de aliis Viris, a recentiorum opinioni-
bus recedentibus, tulisse putantur, licet iam exinde metus quidam
mihi oriri atque nasci possit, quod in *Ephemeridibus humanitatis Ger-
manis*, quibuscum et hac in caussa faciunt, omnes intelligentiae ra-
diis collustrati, generisque humani amantissimi viri ad scribendum de
EDV-CATIONE CAVENTE, tanquam pio desiderio, prouocentur,
et quod ipsi *Bibliothecae Berolinensis* scriptores, prae reliquis omnibus
eiusmodi *Commentariorum* auctoribus, nescio quid seueritatis, immo
austeritatis, in vniuersam eruditorum rempublicam affectare dicantur,
quo

quo aliorum *praecepta* nominent *absurda, absona, ieiuna, et ridicula*, suas vero *opiniones*, quasi *communi assensu iam receptas*, venditent. Ego, his omnibus in medio relictis, non scripti ex coeco antiquitatis studio, quod multis, qui in formandis in palaestra puerorum atque iuuenum ingenii occupati sunt, *haud scio, quo iure*, tribuunt, quicquid aetatis nostrae ad emendandum *verum antiquiorum temporum, in fingenda iuuentute, vitium* conducatur, id omne sedulo atque grato animo recipiendum censeo, ea modo contemnens, atque reiiciens, quae *leuitati iuuenili*, atque *insuatae eruditioni* inferuiunt, aut, quibus praemaiorum consuetudine, id quod facillime fieri solet, *praeslantiae quid* conceditur, quod vel maxima mentis intentione assequi nequeo. Neque est, quod putes, me eo consilio animum ad scribendum appulisse, ut refutandi studio quid darem, aut auctoris illius censuram, quae initio huius prolusionis praemunita legitur, gloriae quid detraherem, eundem potius, licet incognitum, quem ne solo quidem nomine noui, eruditione multum apud multos valere, et *valere oportere*, largior, quid? quod, *si magis placet*, eiusdem viri docti amicam institutionem in re tanti ponderis, quanti mihi semper visa est futurae ciuitatis educatio, desidero, ut ab omni dubitatione, *si fieri potest*, liberatus, meliorem salubrioremque disciplinam, ut dicitur, edocear. Quid plura? *Tolerantiam*, siue facilitatis aequitatisque amorem erga illos, qui in rebus sacris a pristinorum Theologorum institutis atque praeeptis *quouis modo* se remoueant, omnibus grauissime inculcare cupiunt hi Censores Seuerissimi, hinc nihil est, quod certius sperem, nisi hoc, fore, ut eo in me sint animo, quo pudore suffudisse sibi videantur illos, qui huius *Tolerantiae* documentum ipsis reculent, cupidissime speratum. De reliquis *Lecloribus Humanissimis*, non opus est, ut dubitem, quin eadem beniuolentia hanc disputationem accipiant, qua omnes qualescunque labores meos scholasticos iudicare huc usque consueuerunt.

Quoniam, ut *Antonio* apud CICERONEM Lib. I. de Oratore placuit, in principio id fieri in omnibus disputationibus oportet, ut, illud quid sit, de quo disputetur, explanes, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant, hinc, quae sit CAUENS EDUCATIO, prius constituendum

dum puto, quam ad illam diiudicandam progredi liceat. Vnicuique vero, ab omni partium studio abalienato, neque nouitatis gratiae nimium indulgenti, rerum scholasticarum aestimatori omni animi integritate profiteor, hanc disciplinae formam, mirum quantum iactatam, esse eiusmodi, ut ingenii tarditate impediatur, quo minus, non *praestantiam*, qua institutionem, huc usque in scholis receptam, supercedat, mento *statim* comprehendere atque percipere possim. Animum enim vel maxima cum assiduitate in descriptionem huius formandae iuuentutis modi, eamque initio huius commentationis maxime perspicuis verbis expressam, si intentum habeo, mihi ipse subira-
 fcor, quod tam hebes, tam obtusus sum, quin vel minimum discrimen sentiam. Duplici ratione explicatur, prior haec est: CAVENTS EDUCATIO sane meretur nominari *grauissima*. *Vtiliora lolii atque urticarum semina nisi succrescunt, praestantiores frugum segetes ut multo feliciora incrementa capiant, necesse est.* Sat ingeniosum! Nam, si discesseris ab eo, quo concedendum est, neminem vel vetustissimum scholae magistrorum fuisse, quem haec veritas suggeret, quasi nostrae demum aetati prosperiori reseruata, quid est, quo differat CAVENTS EDUCATIO ab illa, quae huc usque in scholis obtinuit? *vtiliora frugum semina non prius terrae mandanda sunt, quam illis succum atque alimenta subtrahere, et obesse possunt minus utiles, immo perniciosa terrae prouentus?* nisi fortasse hortorum cultura tam ridicule mihi cogitanda sit, ut hortulanus euulso gramini substituat salubriorum plantarum semina, nullus pudor me reuocat, quin candide fatear, me vna cum ignarissimis scire, quid *cauentem* inier, atque *consuetam* Educationem interlit? *haec* primum praeceptis spargit et disseminat in puerorum atque iuuenum animos rei cognoscendae principia, et deinde maxima vigilantia cauet, ne in agendo ab agoitis regulis vlla ratione defleat, *illa* eandem cautionem adhibet, sed necesse est, ut supponat, semina cognitionis atque virtutis prius iuuentuti, institutionis auxilio, esse infusa, quam impedire velit, quo minus *vna cum illis* errores atque vitia in animis iuuenilibus radices agere possint. Si vero hanc mentem *huic priori* explicationi suae tribuunt, qua indicet, CAVENTEM EDUCATIONEM esse illam, quae prospiciat, ne puerorum ad quaeuis mala procliuas eo procedat, ut sequenti tempore nullius

nullius disciplinae adiumento cohiberi atque reprimi possit, tunc velim, ut mihi dicant, quis religiosorum scholae magistrorum unquam fuerit, qui negligeret, virtutis amorem alumnis prius instillare, quam intinam cum vitio familiaritatem contraherent? at vero restat adhuc alia, qua interpretantur CAVENTEM EDUCATIONEM, ratio, ad illam igitur examinandam me confero, ut videam, num illius ope intelligere possim, in quo cernatur huius consilii scholastici indoles atque vilitas? *Discipulam*, inquit, *ad cogitandum et agendum adducere, et cauere, ne in iis vitium committat, nonne haec est CAVENTIS EDUCATIO, quid? quod, nonne haec in uniuersum optima praedicanda est educationis pars? Quid?* haud scio, cui rursus culpam tribuam, quod nihil de nostrae et huius recentioris institutionis differentia dicere possim, nisi ingenio, perparum adhuc vsu atque exercitatione subacto. Pueritiae atque iuuentutis erudiendae ratio, huc vsque publicis in scholis obseruata, nonne discipulos tam in *cogitando*, quam *agendo*, sollertiae atque assiduitati aduofacit? iam illis traditur regula, ex linguae vsu atque ingenio deriuata, et, ne *mechanice* illam, non intellectam, memoriae imprimant, simul ostenditur, in quo lateat huius principii fons atque origo, deinde, ad maiorem lucem interpretationi inferendam, colluflationi consulitur, exemplis, ad regulam accommodatis, et ab ipso puero in aliam linguam transferendis, quod dum fit, praceptor discipulo haesitanti succurrit, saepius ex illo quaerit, cur haec, neque alia ratione, potestatem vocis germanae exprefert? et, si aberrat a norma praescripta, admonetur, ut vitium studiose corrigat. Quid igitur, ne dicam *praesentiae*, sed tantum *diffimilitudinis* deprehendi potest, in conferenda EDUCATIONE CAVENTE cum illa, cui sedulo operam damus in ludis nostris? non acuitur a nobis, quantum puerilis aetatis infirmitas patitur, mens, siue iudicandi facultas? non statim in *agendo* exercentur a nobis pueri? non omni cura in id incumbimus, quo non modo vitia iuuentutis, disciplinae nostrae traditae, minuamus, sed etiam, ne prorumpat illius ad omnia praua propensus animus, caueamus? quid igitur censet? nonne hic rursus, ut saepissime iam fieri solet, consuetudo quaedam scholastica, eaque antiquitatis vetustissimae auctoritate iunixa, eo tantum nomine reprehendi videtur, quia *novitatis suauitate* est deslituta? nonne apparet, nouam inuentam esse denominationem, ad exprimendam rem,

VIII

rem, quae vetustatis inuidiam sibi conflauit? omnino hoc nostrae aetatis est, vt de rebus, vel maxime cognitis, nec solum vnus cuiusque in percipiendo et iudicando viribus accommodatis, sed etiam valde tritis, tanta verborum exquisitissimorum, et nouae inuentionis gratiam prae se ferentium, luxuria atque dulcedine permulti garriant, vt, qui aurium magis suffragium, quam mentis iudicium, sequitur, nil certius putet, quam hoc, se rursus quid didicisse, quod, nisi ingratus finis nominari velit, praecipuae temporum felicitati debeat. Sed, missis his, ex *collatione*, quae apud MONTANGIVM legitur, aliquid coniecere posse mihi videor, quod ad explicandam CAVENTEM EDUCATIONEM, nisi me fallunt omnia, conducere possit. *Magister stabuli*, inquit hic Gallus, *non diu concionatur, sed hominem, equo impostum, non prius retinet, quam viderit peccare.* Prouerbi illius satis noti memor: *omne simile claudicat*, non exigam hanc comparationem ad Critices seueritatem, quod si facerem, praeter multa alia quaererem, cur impar et dissimilis videatur hic magister artis equitandi, praeceptorum iuuentutem in literarum artiumque *longe liberaliorum* curriculo exercenti, *eo, quod non diu concionetur?* quis nostrum est, qui villo disciplinae ambitu retardet puerorum discendi impetum? sine omni circuitu atque anfractu illis explanatur regulae argumentum, quid? quod, haec ipsa regula (vt cum ingeniosis ingeniose loquar) puerorum nostrorum *caballus* est, *cui statim imponuntur*, et nemo est, qui *illos*, quia lapsus *Grammaticus* per se minus periculosus est, quam eorum, qui *in terram ex equo* decidunt, *prius retineat, quam viderit peccare.* Sed fortasse *haec regula* est, quae ad ambages, siue superflua et perniciose profectuum puerilium impedimenta, referri meretur, quae omnino superfedere possumus? egregie! concedam tamen, quod nunquam concedendum puto, vt nunc tandem e multis subtilitatibus emerfus, ipsam CAVENTIS EDUCATIONIS descriptionem coniectura assequi possim. Quantum diuinare possum, CAVENTIS EDUCATIO illa est, *qua statim ad agendum animi incitantur, vitii modo indicatis, quae in posterum vitentur.* Duabus igitur notis, siue partibus continetur, quarum prior est: *statim ad agendum incitantur pueri*, siue, statim ab initio, omnis omnibus principiis, quae ab vnoquoque magistrorum prius tradi solent, quam discipuli ad illorum accommodationem in legendo et scribendo admittuntur, ad ipsam

ipsam exercitationem ducuntur, maxime statim loquendo. Nos boni praeceptores hunc morem ineptum huc usque tenuimus, ut a praeceptis, non a loquendo, institutionis initium faceremus, decepti fortasse auctoritate CIGERONIS, qui lib. I. de Inventione dicit: *mihiquidem videntur homines, cum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod LOQVI POSSVNT, quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, quare re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo, neque EXERCITATIONE conficitur, verum etiam ARTIFICIO QVODAM comparatur, non alienum est, videre, quae dicantur, qui quaedam eius rei PRAECEPTA nobis reliquerunt.* Nos prius animam, quam hunc errorem, hanc absonam et absurdam opinionem deposuimus, vnumquemque, si cognitio legum, ad quas omnia in quacunque disciplina referenda, ac dirigenda sunt, absit, semper incertum vagari, neque vbi consistat, habere, hinc, ne puer aut *mechanice*, ex fideli memoria sexcenties decantata, sed mente non percepta, in agendo proderet, et, quasi imago vocis, sonum repeteret, aut, dubius et anceps de auctoritate nostra, ad linguae cuiusdam studium se conferret, eum non prius ad aliud quidquam in illa transilire passi sumus, quam eius leges calleret, semper adhaerentes sententiae QVINCTILIANI, lib. X. Inlittit. Orator. *perueniri ad summa, nisi EX PRINCIPIIS, non potest.* Non eo insipientiae progressi sumus, ut existimarem, omnes omnino Grammatices regulas, in erudiendo puero, eiusdem esse necessitatis, sed dilectu instituto, eas modo exposuimus, quae primis elementis sunt annumerandae, reliquas omnes aduolenti firmiorique aetati referantes. Neque quisquam nostrum fuit, qui hoc in errore versaretur, ut omnia tribueret solis principis, quilibet potius, praeter id, quod initio eiusdem libri decimi apud QVINCTILIANVM legitur, a SOCRATE didicit, *in omni re minimum esse, in studio audiendi, maximum et summum in cura atque solertia exercendi.* CAVENS vero EDVCATIO a nostra huc usque vsitata, quam, ut nunc video, MONENTEM dicere possumus, primum eo recedit, ut omnia in vniuersum principia, quae ipsam exercitationem antecedant, praetermittat, iisque praetermissis, *statim ad agendum, h. e. loquendum, incitet.* Alterum, quo a communi polliendorum ingeniorum consuetudine longe multumque se remouet,

hoc est, *ut vitia modo indicet*. Nihil igitur de *virtutibus*? heus! dicas mihi, quo superent pueri, hac *EDVCATIONE* formati, si casu potius felici subleuati, quam vera cognitione adiuti, *venustati* responderint, porcum illum (ne offendaris hac similitudine!) apud *CICERONEM* lib. I. de *Diuinat.* qui, dum rostro terram ruit, humi literam *A* impressit?

Sed nondum verfor in eo, *ut damna atque pericula*, quae afferat haec pueritiae atque iuuentutis imbuendae ratio, recenscam, *debitis potius atque insulis laudibus* illam prius extollere constitui, quam animum ad detegenda vitia eius attenderem. Illam nisi permultum ad bene educandam iuuentutem valere fatearis, nihil vtique videris, teque non solum iniquissimum, qui vel saluberrimis rebus, *ex sola auctoritatis inuidencia*, omne pretium deneges, sed etiam ignarissimum, qui scientiae scholasticae vim nullo modo affectus sit, ostenderis. Indolem eius atque naturam, qua in eo, *licet solo*, occupata est, *ut vitiiis* coercendis et opprimendis omni studio resistere studeat, si animo, ab illicito et sordido reprehendendi studio satis abalienato, perpenderis, certissime tibi mecum conueniet, illius praestantiam tantae esse magnitudinis, *ut MAXIME NECESSARIA* putetur. Optime cum veritate conspirant pronuntiata *SENECAE*: *nihil proficient praecepta, quam diu menti error offusus est. Vitia remouenda sunt, non praecipendum, quod fieri, illis moventibus, non potest. Nil proderit, dare praecepta, nisi prius amoueris obstantia praeceptis. Vitia*, quibus aduersatur in pueris atque iuuenibus haec *EDVCATIO*, sunt eiusmodi, *ut tam in discendo* contra linguae artis quaedam regulas, quam *in viuendo* contra virtutis atque honestatis praecepta, committantur, et quid maiori sollicitudine, maiorque assiduitate curandum est, hoc, *ut alumni, vtriusque vitiorum formae foeditatem turpitudinemque mature edocti*, de illis quam studiosissime vitandis atque detestandis admonentur? peruerso et inepto ordine docendi vitur, qui puerum, aut iuuenem, linguae cuiusdam, *maxime latinae*, cognitione imbuendum, eumque in accommodandis primariis de serie vocum coniungendarum regulis horrendo modo adhuc peccantem, ad interiores atque reconditos venustatis recessus ducit, siue, *elegantiae* riuiulis vix leniter delibatis, ad *redundantes urbanitatis* fontes exhauriendos incitat. Omnia

Omnia vitia, omnesque errores, qui grauissimis, maximeque necessariis munditiei praeceptis repugnant, prius sunt deponendi, quam virtutes elocutionis cum specie quadam sperandae vilitatis tradi atque commendari possint. Ea enim in instituendo tutissima, et ad consequendum propositum optima dicitur via, quae naturae proxima est, quaeque nos ducit eadem ratione, qua haec benigna mater nos ex infantiae atque pueritiae infirmitatibus ad iuuentutis atque adolescentiae vires sensim paulatimque transfert. Quemadmodum igitur haec doctum instarum faultrix nobis prius largitur robur ad primae, eiusque tenerrimae vitae incommoda remouenda, quam ad adultioris aetatis officia obeunda facultatem necessariam subministrat, sic frustra laborat, qui, in emendanda et cognitionis luce collustranda mente humana, prius operam dat, ut illi aditum ad nitidos rei cognoscendae lepores pareat, quam vitiorum, contra prima elementa commissorum, numerum minuerit. Qui cum dignitate atque elegantia ad numeros saltare, aut vocem manumque ad concentum mulicem cum suauitate accommodare vult, is ut iam liber sit ab errandi periculo in metiendi passu saltatorio, et in obseruanda mensura musices, necesse est. Quis igitur reperitur, qui sine iniuria, atque grauissima inuidentiae suspitione CAVENTEM EDUCATIONEM vituperet, quae nihil prius, nihil antiquius habet, quam ut iuuentuti in addiscenda lingua omne abhorrens ab elegantiae institutis, eiusque barbariem atque foeditatem, sollicitè indicet? sapientissime vrget id, quod omnium primum esse debet, et, quo neglecto, omnis vltioris institutionis labor frustra consumitur. Summo opprobrio duci meretur vnicuique, maxime in scribendo, res exquisite saepe excogitatas vocum fordibus contaminare, lectorumque, graiori linguae suauitati adsuefactorum, oculos terribili a peritiorum vsu atque consuetudine recedentium vocabulorum ad spectu offendere, neque vllius muneris, licet amplissimi, dignitas tanta est, quae exulare hanc ignorantiam, aut Criticorum oculos praestringere possit. Non minori iure summis laudibus praedicari meretur CAuens EDUCATIO, ad vitia, virtuti atque honestati in viuendo repugnantia, si respexeris. Parum refert causae praesentis, accuratiori mentis intentione perquirere, haec iuuentutis in agendo prauitas ex insita atque innata quadam ad mala procliuitate, an improborum hominum exemplis, eorumque corruptelis, originem habeat, alioquin

alienam a praesenti argumento criminandi occasionem praeberem illis, qui cum *SENECA* dicere malunt: *erras, si existimas, nobiscum vitia nasci, superuenerunt, ingesta sunt, nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros ac liberos genuit.* Qui omnem actionum improbitatem ex naturali animi humani corruptione deducunt, si *CAVENTI* *EDUCATIONI* hanc curam vindicant, qua femina malitiae, in animo puerili latentia, mature euellat, iisque euulsis, virtutis incrementa adiunet. Qui homines non natura propensos ad vitiositatem, sed exemplorum illecebris irretitos putant, hi *CAVENTIS* *EDUCATIONIS* assiduitatem positam censent in eo, ut pueros mature non solum a consuetudine omnium improborum sedulo remoueat, sed etiam odio in illiusmodi humanitatis monstra incendat. Quicquid placet, utraque ex *CAVENTIS* *EDUCATIO* peruersitatis puerilis impedimenta maturat, omnemque in dirigendis pueritiae actionibus cautionem adhibet, qua alumnos contra omne iniustum atque inhonestum detestatione tempestiua munit, aut saltem a futura vitii, iam commissi, repetitione retineat. Praeclare! Nihil fere instituendo proficitur, errores atque vitia si in consuetudinem verterint, *desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerunt vitia, mores sunt.* Omnem operam frustra consumit atque perdit bonus agricola, si femina naturae feracissimae agro mandat, spinis atque lapidibus obdito, ideoque parum frugifero, totus ager ab illo profciscendus est, eiusque sterilitas emendanda, nisi speratae messis laetitia carere velit. Non maior disciplinae vel fidelissimae prouentus est, si iuuenis animus inde a pueritia callo quodam est obductus, si vitiorum flagitiorumque familiaritate virtutis atque modestiae sensus expers est factus, et continua facinorum exercitatione omnem fere pudorem exiit atque deposuit, quid? quod, eius emendatio multo minus, quam agri illius, speranda, saltem multo maiori cum periculo instituenda est, quia plerumque animus eius contra omnem adhortationem pertinacia obduratus atque obtusus est. Quid igitur maiori aequitatis studio a nobis postulari, immo exigi potest, hoc, ut iustissimis atque summis laudibus efferamus *EDUCATIONEM CAVENTEM*, tam benignam pueritiae atque iuentutis nutricem? quid maiori sollicitudine, maiori que fide in curanda disciplina cauendum est, hoc, ne in tractandis linguis atque artibus elegantiae praecepta negligantur, et prauis moribus adsuescant pueri atque iuuenes?

nes? domicilium, immo lustrum barbariei et nequitiae sit ista schola, quae, CAVENTI EDUCATIONI inimica, *erroribus* atque *sceleribus* patet, claudatur, diruatur! pestis atque hostis Patriae sit iste scholae magister, qui, huic EDUCATIONI aduersans, *mentis* atque *voluntatis* culturam segniter et irreligiose tractat, remoueatur, proscribatur! Sed, quo facilius haec EDUCATIO suas obtineat opportunitates, quo par est, modo instituatur. Philosophi, dehortantes ab *erroribus* ac *vitiis*, momenta ab ipsa horum natura, tam pestifera, quam homine indigna, petunt, sed haec ratio subtilior est, quam ut in primam aetatem cadat, quamuis adultiore cum fructu possint illa regi, et, quid verum, falsum, bonum, malumque sit, videre. Latius patet via *per exempla*, quae consecutiones opinionum prauarum scelerumque in manifesta luce ponunt. Sic SPARTANI seruos, merfos vino ac mandentes, pueris ac iuuenibus ostentantur, quo clarius ebrietatis dementiam ipsi cernerent oculis. Honestior autem disciplina fuit patris HORATII, a filio gratissimo animo laudata, Sat. I. 4. *inuenit pater optimus hoc me, ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando*, quod postea per partes persequitur. Sed campum amplissimum aperit *historia*, iudicio LIVIANO tractanda, ut inde capiannus virtutes, quas imitemur, foeda inceptu, quae fugiamus. Idem poenis in ciuitate finis proponitur, e quarum granitate appareat, nihil, criminibus, perniciosius reperiri. Sic EDUCATIONI CAVENTI ipsa Ciuitas fauet, dum malas actiones prohibet, committas punit.

Virtus est, vitium fugere, et sapientia prima, stultitia caruisse.
 Quid est, quod veri similius videatur, quam, permultos *Lectorum Humanissimorum* reperiri, quibus in mentem veniat huius loci HORATIANI, lib. I. epist. I. 40. quique magnam commentationem CAVENTIS EDUCATIONIS illi inesse, primo aspectu putent? certe igitur aut tantum mirantur, ne verbo quidem mentionem feci, aut bonae causae pronuntiatis, ne verbo quidem mentionem feci, aut bonae causae inuidiam, illo praetermisso, ipsis haud dissimulare videor. Sed illos statim mihi reconciliatum iri spero, si dixero, me, quam longe absum ab omni, quod odii, aut liuoris suspicionem, in pretio rei viliori statuendo, contrahat, tam studiose silentio praeteruisse hanc HORATII sententiam, ne instituto, atque disciplinae, quae permultum ad for-

mandam iuuentutem conferre censetur, dum illius vitilitati comprobatae, et debitis laudibus efferendae, studui, saltem in animo *Lectoris*, qui, quodcumque legat, ad accuratam iudicii mensuram exigit, calumniam quandam conlarem. Primis huius dicti HORATIANI verbis, quod liberalissime largior, contineri videtur luculentissima et amplissima CAVENTIS EDUCATIONIS praedicatio, sed, quae illa excipiunt, omne id callide subtrahunt, quod praecedentia laudando concesserint. Mentem meam statim clariori ratione explicabo. *Vir- tus est, vitium fugere.* His verbis haec vis tribui posse videtur: ad virtutis studium nihil amplius requiritur, nisi fuga vitii, sufficit ad virtutis gloriam consequendam, pravis facinoribus abstinere, et sic extra omnem dubitationem est positum, nos his verbis vii posse ad comprobendam, eam iuuentutis scholasticae erudiendae et poliendae rationem, quae solam leuitatem in perpetrandis vitiiis coerceat, MOMENTI EDUCATIONI esse praeterendam. Sed hanc potestatem his vocibus non esse concedendam, statim testantur sequentes: *et sapientia prima stultitia caruisse.* Primam modo, non solam, nominat sapientiam, liberum esse a stultitia, quasi dicat: *initium salutis est notitia peccati, suae, non omne fecisti, quod ad absolvendam animi emendationem postulatur, si vitii deformitatem agnoueris, sed prima tantum posuisti fundamenta, opus est, ut virtutes oppositas simul exerceas.* Quid igitur est, quod dubitem, hunc locum HORATII sponte sua viam mihi ostendere atque munire, ad incommoda inuestiganda, quae iuuentuti adest CAVENTIS EDUCATIO? Duo sunt, pro numero notarum, quae descriptioni huius EDUCATIONIS, in antecedentibus praemunitae, insunt, et fortasse illius grauitatis censerentur, ut non solum omnium, qui de rebus scholasticis iudicare possunt, accuratiori contemplatione digna habeantur, sed etiam, ut illorum Virorum institutionem desiderare mihi liceat, quorum auctoritate, religione, atque fide, commendatio huius influendi rationis nititur.

Prius est: non sufficit ad integre obseruandas omnes muneris scholasticae partes. Vriusque doctrinae, tam, qua mens linguarum, aut artium, intelligentia imbuitur, quam, qua voluntas ad virtutis atque honestatis praecepta formatur, indoles haec est, ut is alumnus *initium modo elegantiae atque emendationis animi fecerit, qui vitiiis careat,* necesse

necesse potius censeatur, ut, si ad *pleniorē*, quam *mediocrem* tantum, cognitionis atque integritatis laudem adspiret, *venustatis* atque *virtutis* praestantiam sibi cognitam familiaremque reddat. Non captabis risum, aut stomachaberis, si quidam abs te interrogatus, quae sit huius vel illius rei notio, *modo tantum negante* responderit, siue illa sola indicauerit, quae cogitando ab hac re sint seiungenda? non requiritur, ut his, quae indoli eius repugnent, adiciantur etiam illa, *quae ipsi conueniant*? Num, qui terrae motum a *spiritibus subterraneis* concitari, cum risu audit, mox *veram causam* perspicit? Num, qui *luxuriae* turpitudinem videt, etiam modum *parsimoniae* capit? Num satis dicere: hi sunt *barbarissimi*, hi *solocissimi*, an simul *elegantia* ipsa monstranda? Num, qui *sophismata*, siue fraudes atque machinationes in complectendo tenet, statim intelligit *recte ratiocinandi regulas*? Num visurus urbem, *orientem spectantem*, si modo scit, viam non esse eligendam, quae versus *occidentem* ducat, simul *illam ipsam* nouit, qua itineris metam contingere potest? non modo falsa et mala sunt fugienda, sed etiam ut *recta calleas*, et bene agas, necesse est. Virumque hoc non nisi infelicissima ratione separatur, illud sine hoc, nil, nisi mancam cognitionem, et parum absolutam probitatem praestat. Sed, ut alius nunc progrediar, quemadmodum aegrotus nunquam de restituta bona corporis validudine gaudebit, nisi artis salutaris peritus, quem curationes morbo adhibendas rogarit, praeter variorum abstinentiam, ipsi saluberrima remedia, atque modum continentiae praescripserit, sic ad hanc intelligentiam veri, venusti, et decori comparandam *singulari institutione* opus est. *Omnium honestarum rerum*, inquit SENECA, *semina animi gerunt*, quae admonitione excitantur, non aliter, quam *scintilla*, flatu leui adiuta, ignem suum explicat, ingenii vis *PRAECEPTIS* alitur, et crescit, novasque *persuasiones* adicit *innatis*, et deprauata corrigit, *imbecillioribus ingeniiis*, *necessarium est*, aliquem *praecire*: hoc vitabis, hoc facies! Puer atque iuuenis, errores, ab ipso commissos, si indicaueris, non statim, et quidem sibi ipse relictus, animaduertit, quomodo emendatio sit instituida? ne igitur putes, omnia, quae abs te, magistro, iure requirantur, praestitisse te, si dixeris: *hoc vitium est*, incumbit tibi simul, ut aut ipse corrigas, aut in corrigendo adis discipulo. Dicis fortasse: *qui falsum malumque nouit, is statim vera et bona cognouit*, audio, sed rem exquisitius perpenda.

pendamus. SENECA Epist. 94. quam vna cum sequente multum lucis causae praesenti inferre exillimo, et ex qua varia iam, in tractando hoc argumento, ad vsum meum contuli, sic iudicat: *tolle, inquit* ARISTO, *errores, supernacua praecepta sunt.* FALSVM EST. *Putam enim, auaritiam relaxatam, puta, adstrictam esse luxuriam, temeritati frenos inieciōs, ignaviae subditum calcar, etiam,* REMOTIS VITIIS, QUID, ET QVOMODO DEBEAMVS FACERE, DISCENDVM EST. Quid igitur? si omnes omnino homines tanta sunt mentis imbecillitate, vt, deposita in cognoscendo et agendo prauitate, non statim, nisi singularis disciplina praecefferit, oppositam cognitionis et actionum diligentiam atque liberalitatem assequantur, quid est, quo conici possit, primam hominis aetatem, eamque accuratori atque pleniori institutione carentem, huic inuestigationi esse aptissimam? tune, quod adultioris aetatis robore sustineri nequit, id humeris puerilibus atque iuuenilibus, aut ipse imponere vales, aut imponi patieris? incules puerum eiusmodi vocum coniunctarum ferici, qua contra vnam itemque alteram regulam peccarit, neque dicas quidquam amplius, quam: *heus tu, puer, hic vitium latet*, num intelliget, quomodo mutatio Grammaticae convenienter sit instituenda? at vero iterum fortasse dicis: *haec vitiorum emendatio vna cum illorum conuictione copulatur.* Recte, sed nihilo minus persisto in eadem sententia, CAVENTEM EDUCATIONEM non esse idoneam, ad implenda omnia muneris scholastici officia. Nullo enim modo mihi persuaderi potest, vocabulo vitii fallaciam inesse, eamque CAVENTIS EDUCATIONIS auctoribus tam late patere, vt etiam omne illud complectatur, quod, *obseruata elegantia*, non respondeat *venustati*. Sic enim a communi vsu loquendi mirum quantum recederent, quo rem, quamuis virtutes desiderentur, tamen, si nullo vitio laborat, nunquam *deformem, sordidam*, et *foedam* vocamus. Quod si est, vt vocabulo vitii eadem ratione vtantur, qua id modo denotat, quod desleat et aberrat a primis regulis, non percipio, quomodo prius acquiescere possit praceptor, quam, traditis *munditiae* principiis, *urbanitatis* etiam pulchritudinem commendauerit? Non solum mihi, sed omnibus etiam, qui ambitum muneris in palaestra tenent, persuasissimum est, disciplinae alumnos in addiscenda, vt hac vna vtat, *lingua latina*, non contentos esse posse illa cognitione, qua mentem in scribendo et loquendo quali-

qualicumque ratione explicare perceperint, sed opus esse, ut quam proximi ad imitando consequendam priscae aetatis, quae *aurea* dicitur, scriptorum *urbanitatem*, ad illorum *ornatum*, atque *copiam* adducantur. Prius si sufficeret, ne eadem quidem industria artibus ingenuis operam daret erectioris ingenii iuuenis, qua illiberales atque sordidae discuntur, quarum discipulorum nemo absolutam intelligentiam sibi acquisuisse somniat, si modo eo progressus est, ut liber et immunis sit a grauiori elementorum offensione. Quibus omnibus simul sumtis, ut neque *vitia* tantum sint *cognoscenda*, sed etiam *corrigenda*, neque omnino *vitiorum* tantum habenda sit ratio, sed etiam *virtutes* atque *sempores* restent, ad conficiendam cognitionem non minus necessarii, non video, qua fiducia ludi magister sperare possit, se muneri, sibi demandato, integre satisfacturum, si CAVENTIS EDUCATIONIS instituenti modum obseruarit?

Haec quidem haecenus de *priori* damno, quod scholis importat haec docendi ratio, quodque ex *posteriori* eius descriptionis nota oritur, superest adhuc *aliud* recensendum, *fortasse* aequae graue, parique sollicitudine ponderandum. Prior nimirum differentia huius disciplinae cernebatur in eo, ut *animi statim ad agendum, h. e. loquendum, incitarentur*. Quid, dicas mihi, *periculosus* est, hoc? Nam *aut fieri potest*, ut puer linguam latinam *loquendo* discat, *aut non*, utrumque, si magister experimentum huius EDUCATIONIS facere constituerit, multum periculi secum affert. Fingas, *fieri posse*, ut statim, *ipso vsu*, puer facultatem huius linguae sibi comparet, necesse est, ut loquatur inslar auis e genere cantricum, aut plittaci, qui, vinculo linguae soluto, verba saepius audita repetit. *Nescit rationem*, cur hoc modo cogitata exprimat, neque alio, et *innumeros errores*, auribus fastidiosissimos, pronuntiat. Dicunt: *quid prodest, puerum, aut iuuenem uniuersiusque formae dicendi causam atque regulam scire, scis est, illum, quae cogitavit, latine interpretari posse*. Sed cur vos, *boni viri*, qui hanc CAVENTEM EDUCATIONEM nobis obtrudere vultis, cur, inquam, tot, et tantas querimonias de *pristino Mechanismo* mouistis, si illiusmodi vitii culpam vobis ipsi contrahitis? non opus est, ut alumnus *seriem vocum* aequae iudicare possit, quam *rerum*, quas in animo habet?

XVIII

quid facilius, quid aetati tenerae accommodatius est? quid *utilitatis* affert, puerum iam loqui posse *latine*, ita tamen, ob ignorantiam regularum, quasi mentis humanae non sit particeps? *eadem ratione*, inquirunt, *puer adsuescit lingua vernacula*. Recte, sed ut necessitati consulatur, quid vero est, quod *linguam latinam* puero aequè necessariam faciat? est igitur *fallacia parium non parium*, ut Dialectici loquuntur, et homines docti indagant quoque sermonis vernaculi origines, eiusque praecepta cum GOTTSCHEDIO, HEINZIO, ipso BASEDOVIO, aliisque tradunt, atque ut studiose retineantur, moneant. *Sic inde a pueritia discitur apud Germanos lingua gallica*. Largior, sed, praeter eandem machinationem *parium non parium*, nona struitur, quam nominamus *fallaciam petitionis principii*. Nam, *lingua viva*, et *mortua*, quae dicuntur, sunt sibi inuicem dispares, deinde, quia nemo approbare potest, quemquam lingua *pergrina*, cuius scientiam nulla urgeat et premat inopia naturae subleuanda, sine notitia regularum primariarum loqui, hinc ne hic quidem mos, ratione linguae *gallicae*, apud nos receptus, iusto modo *prudentioribus* assensu dignus videri, et ad linguam *latinam* transferri potest, ut nihil dicam de plurimorum nostrae aetatis Latinitate, quae sane, maxime *in loquendo*, miserimum esset, quod iuuentuti imitandum proponeretur, exemplum. Ad errores denique, a tali puero necessario expectandos, verum aurium conuicium, quod attinet, responderi solet: *quamuis sexcentis initio erret, sequenti tempore et errores, et emendationis causam edocebitur*. Quid ais? *quamuis sexcentis erret! nonne vitia* ab ipsa EDUCATIONE CAVENTE statim indicanda censentur? num indicari possunt *modo exquisito*, sine cognitione regulae, eiusque fundamenti? memor hic rursus sum MONTANGII tui, num dicit: *quamuis agitator equi sexcentis cadat prius, quam moneatur, qua cautione sit utendum?* SIC VALEAT, CVRES, NE GVLAM FRANGAT! haec, nisi fallor, non *sexcentis*, sed *semel*, frangitur. *Sequenti tempore puer emendationem edocebitur?* quantum igitur temporis tibi in lucro est ponendum, quod has admonitiones, quibus opus est, docendo non praemuniuisti? computando perpendas tempus, quod *in erroribus* contritum est, quodque requiritur, ut puerum atque iuuenem a *pristina vitiorum consuetudine* ad *iustam principiorum accommodationem*

dationem deducas, quid est, quod putes, temporis parsimonia a CAVENTE EDUCATIONE superari MOMENTEM? Sane in sinu derivanda est ista toties iactata BREVITAS, et, quod ad opinatam SVAVITATEM atinet, quae desideretur in disciplina, huc usque in ludis nostris vltu recepta, haec pendet ex sola magistri dexteritate, et exemplorum iucunditate facile potest adspergi. Fac igitur, vt dixi, fieri posse, vt tenerae aetatis discipulus linguam latinam loquendo percipiat, nihil tamen periculosus est, hac institutione, quae dicitur CAVENTIS. Restat adhuc, vt animo contemplerur, quid detrimenti importet scholis haec fingendorum puerorum atque iuuenum ratio, si fieri non possit, vt acquirenda linguae latinae intelligentia ab exercitatione loquendi incipiatur, et si nihilo secius magister laudibus atque praedicatione CAVENTIS EDUCATIONIS abripi se, passus fuerit? Omne tempus, quod praeceptor illi impenderit, quodque nunquam restitui potest, frustra est consumptum, deceptus laudata huius disciplinae Brevitate atque Suavitae, animaduertit, se omnem operam, omnemque industriam, sine sperata utilitate, in illa collocasse, et discipulus, ad adultiorem aetatem sensim nunc prouectus, principiorum, rerumque minutarum, auersatione tenetur. Quae omnia nunquam satis deploranda sunt incommoda, tantae grauitatis, vt nulla emendatione sequenti tempore compensari possint. Sed, non est, inquit CAVENTIS EDUCATIONIS auctores, quod timeas, vt fieri possit. Omnes eiusmodi querelae continent inanes simplicitatis gemitus, dignae sunt, quae ad DECLAMATIONVM (vox, Romanis hac in potestate ignota, sed nostrae aetati elegantiori tam communi consensu probata, vt vel ciuitate germana donetur,) formas, risu excipiendas, referantur, studio antiquitatis, amore EXQUISITAE, vt dicitur, eruditionis, h. e. SCHLENDRIANISMI, atque inueteratae formationis scholasticae incitati, nouitatis vero, atque omnis recentioris constitutionis, eiusque vel longe sapientioris, odio atque inuidia inflammati, impediuntur permulsi, quo minus praestantiam huius EDUCATIONIS largiantur, illique palmam prae consueta, eaque fastidiosa, nimis ampla, atque inconueniente, concedant. Legatis, quaelo, VIRI CONSPICVI, et accuratiori, quam fieri solet, animi attentione perquiratis mentem verborum, quae

Vol. XXXVI. P. I. p. 250. vniuersae Bibliothecae vestrae reperiuntur,

vi vobis ipsi constetis, meamque responſionem percipiatis! Verba veſtra ibidem haec ſunt: kaum hat der Schüler etwas Weniges von erklärten klaſſiſchen Schriftſtellern gehört, ſo ſoll er allein zu überſetzen anfangen. Dies iſt eine Marter für Knaben. Eben deſwegen, weil der Knabe in der Sprache, wie ein Fremdling, außer dem Vaterlande noch fremd iſt, ſo hat er noch keine Worte, und noch minder eine Wahl von Worten. Ratio iſta peruerſa, infulſa, et abſona, qua in tractandis latinis veterum ſcriptoribus multi olim verfabantur, iure a vobis vituperatur, et criminose perſtringitur, ſed facillimo negotio fieri poteſt huius doctae veſtrae ſententiae ad praesentem cauſſam accommodatio. Quodſi enim iniquum eſt, puerum, paucis tantum ſcriptorum antiquitatis partibus ipſi expoſitis, quia nullam verborum copiam, et multo minus dilectum illorum, teneat, ſolis viribus ſuis innixum, in transferendo exerceri, quomodo, vt pace veſtra quaeram, quomodo loqui poteſt, pari vocabulorum inopia preſſus? in vertendo e lingua latina in vernaculam illi deſunt verba germana, quae respondeant latinis, et in latine loquendo non habet in promptu voces latinas, earumque ordinem legitimum, ad exprimenda mentis cogitata, non igitur idem adest impedimentum? non eadem ſalebra? His diſputatis, planum feciſſe me puto, CAVENTEM EDUCATIONEM, ſeiunctam ab ea, quae prudenti vitam, vt ait PHAEDRVS, conſilio monet, eſſe eiusmodi, vt, tanquam non ſufficiens, et periculosa, a fideliffimo quoque ludi magiſtro, vna cum multis aliis recentioribus artiſciis, iisque ſcholasti- cis, (quibus etiam annumeranda eſt EDUCATIO AESTHETICA, de qua alio tempore, ſi Deus dederit, contra publicas tabulas Educa- tionis vſu probatae, ſive Archiv der praktiſchen Erziehung, verba faciam,) reiici atque contemni mereatur.

Iungamus igitur in poſterum quoque MONENTEM EDUCATIONEM cum CAVENTE, vt prudentiffimam ſaluberrimamque habeamus diſciplinam, qua pueri atque iuuenes non ſolum careant vitiiis, ſed etiam virtutis ſplendorem agnoſcant. Hoc modo ſtudioſiſſime fugiamus, ne imprudentibus conſiliis, quae multum ad augendas difficultates atque ſuperfluas ambages, ſed nihil ad procreandam veram vilitatem conferunt, MONENTIS EDUCATIONIS vim atque in-
lem

lem infringamus. *Fundamentis grammaticis* ita positis, vt *regularum primariarum*, et cognitu maxime necessariorum, earumque rationis, intelligentiam, frequentioribus exemplis collustratam, *summa fide atque industria* pueris nostris insillaremus, progrediamur ad *ipsos Romanorum scriptores*, nequaquam vero *Centones*, siue *Chrestomathias*, ex illis inepte, vt *alio loco dixi*, corrasas, aut recentioris aetatis libellum quendam, in iuuentutis scholasticae usum, vt praedicatur, tam misere compilatum, vt *peritiorum Criticorum* censura inter Romanos vix *capite censu*, siue *proletariis*, esset annumerandus, sed ita progrediamur, vt principia Grammatices, prima institutione tractata, initio accuratissime accommodemus, deinde vero illorum numerum, in *ipsa lectione*, augeamus, donec puer integrum huius scientiae curriculum sensum confecerit. Exercitationes ad comparandam *scribendi latine* facultatem excipiant consuetudinem veterum librorum, *exegetice* et *critice* continuatam, easque ita dirigamus, vt virium discipulorum *plurimorum* rationem habeamus, et rebus, *non in vita vulgari obuiis*, quarum notitia irrita, *superflua*, et, ob voces recens procedendas, *ridicula*, et saepe noxia reperitur, sed *futuris colloquiis de argumento quodam erudito inseruientibus*, consulamus, et pensis, quae eiusdem conditionis sint, quaeque, lingua vernacula in calamos dictata, *statim* verbis latinis describantur, item latinis sermonibus, in repetendis et enarrandis scholis, finem imponamus institutioni scholasticae. Sic omnes fidi et vsu subacti praeceptores, saltem IN SAXONIA NOSTRA SVAVISSIMA, huc vsque muneribus suis persuncti sunt, sic, haud immemores prouerbii, *FESTINALENTE*, huc vsque sollicite et feliciter curarunt, vt reipublicae, tam *sacrae*, quam *ciuili*, alumnos traderent, de quibus doctores in Academicis conspicui optimam spem conciperent, *querimoniae* vero de ignorantia iuuenum, scholas relinquendum, non *ex hac disciplina seuera*, sed *ex aetatis nostrae leuitate* deriuandae sunt, cui vt cedamus, cuiusque fatierati atque auerfatione accuratae eruditionis, *indulgentia atque gratiori suauiorique scholarum constitutione* medeamur, non nisi violenta religionis fidelissimi cuiusque magistri offensione suadetur. Desinat igitur, vos, VIRI OPTIMI, qui *prini* pristinum ludorum statum, *pristinumque* squalorem luxillis, desinat, si eiusmodi precibus, *pro consilio inito*, apud

vos locus est, ea nobis praeceptoribus monita dare, quae, non *salutem* iuuentutis, a nobis formandae, sed eius *proclivitatem ad inconstantiam*, quid? quod, *aetatis praesentis dulcia vitia*, adiuvant. Bene iam et sapienter meriti estis de bonis literis, earumque officinis, propterea quod prosperrimo impetu propulsastis et eiecistis MECHANISMVM, eiusque tormenta atque cruciatus exquisitissimos, omnia vero, quae nunc ulterius progrediendo excogitantur, nimis parum remota videntur ab artificio, quo ingenuarum artium dignitas atque gravitas mutetur cum lusibus atque iocis scholasticis. *Omnis instaurationis, si modum atque terminum excesserit, plus obest, quam prodest, neque minoris est sapientiae, ac prudentiae, hunc modum in emendando tenere, quam ipsa vitia corrigenda inuestigare!*

Indicanda nunc sunt nomina alumnorum bonae indolis atque spei, qui, *sancta atrocissimae mortis Servatoris memoria*, et iusta in *Schroederum*, Rectorem huius Lycei quondam meritissimum, obsequantia, commoti, iuuenilis dicendi facultatis specimina edent. *Secundum*, et *tertium*, quos ob erectioris ingenii dotes, industriam, in colendis bonis literis collocatam, morumque probitatem, pari amore semper amplexus sum, ILLUSTRIS ACADEMIAE VITENBERGENSI trado, Deum immortalem implorans, ut Spiritu suo in posterum quoque illos gubernet, illorumque progressus, in spem Religionis atque Patriae, scholastica institutione in literarum curriculo factos, *Patronorum Amplissimorum* benivolentia sic remuneretur, ut utilissimi fortunatissimique aliquando evadant. Ordo dicentium hic est:


- I. IOANNES FRIDERICVS LIEBSTEINIVS, *Torgauensis*, qui *de fiducia Christiani tempore calamitatis publicae, ex providentia Dei in dirigendis perpeffionibus Christi promanante, disseret lingua germana.*
- II. IOANNES GOTTFRIED PALMERVS, *Doebeltitienfis-Misnicus*, qui *Christum αντίλυτρον ex I. Tim. II. 6. proponet lingua latina*, et, scholam cum Academia commutans, gratum animum testabitur *oratiuncula germana.*

III. AV-

III. AVGVSTVS AMBROSIVS ROEMERV'S, *Zwetauensis-Mis-*
nicus, qui *lingua latina* inquiret: *num utilitas mortis Christi in*
mero patientiae exemplo sit constituenda? et *lingua germana* Ly-
 ceo dicet Vale.

IV. CHRISTIANVS AVGVSTVS PFVNDTV'S, *Iessena-Saxo-*
 qui *maiestatem Dei ex humilitate mortis Christi* celebrabit *decla-*
matione germana, et Amicis felicissimum apprecabitur abitum.

Quos iuvenes vt Antistes Sacrorum SVMME REVERENDVS,
 SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLVRIMVM REVE-
 RENDI, PRAECEPTORES CLARISSIMI, et omnes literarum Ly-
 ceique AMICI HONORATISSIMI, craftino die hora IV. confucta
 beniuolentia audiant, humanissime oro rogoque. P.P. Torgaviae,
 Kalendis Aprilibus, A. I. S. MDCCLXXIX.



III. GÜTTIGES ABGESCHLOSSENES VEREINBAR
DIESE VEREINBARUNG WIRD VON BEIDEN PARTeien
ZUR VEREINBARUNG GEMACHT UND BEI BEIDEN
PARTeien VORHANDEN.

IV. CHRISTIANSCHE VEREINBARUNG
DIESE VEREINBARUNG WIRD VON BEIDEN PARTeien
ZUR VEREINBARUNG GEMACHT UND BEI BEIDEN
PARTeien VORHANDEN.

V. GÜTTIGES ABGESCHLOSSENES VEREINBAR
DIESE VEREINBARUNG WIRD VON BEIDEN PARTeien
ZUR VEREINBARUNG GEMACHT UND BEI BEIDEN
PARTeien VORHANDEN.
Landesarchiv, A. I. 1000000000



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
Nov 75 fkt 1

R


VD 17





ED

64
CAVENTE
IO



Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



ELAMANDO
IONEM
DAM
VITAT
SINTENIS
IS RECTOR.



RIANA.